



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 26 ad 50

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1761**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53361)

## PSALMUS XLVI.

**T**itulus : *In finem pro filiis Core , Psalmus , nihil continet novi.*

*Argumentum Psalmi , ut cum interpretantur Chrysof. Hier. Aug. Theodoret. Euthym. , est victoria , & ascensio Christi.*

*ψ. 1. Omnes gentes plaudite manibus , jubilate Deo in voce exultationis.*

Metaphoricè indicat , gaudendum , & animo lætandum esse , ut ii faciunt , qui præ gaudio exiliunt , & manibus strepitum , & voce clamores excitant. Invitat autem omnes gentes , quia gloria capitis , qui est Christus , toti corpori , quod est Ecclesia toto terrarum orbe diffusa , communis est.

*ψ. 2. Quoniam Dominus excelsus , terribilis , Rex magnus super omnem terram.*

Primam gaudendi rationem ducit à magnitudine Christi : *excelsus* est ob naturam divinam , ratione cujus excellit omnibus creatis ; *terribilis* quoad omnipotentiam , cui nihil resistere potest : *Rex magnus* ratione providentiæ , & gubernationis totius mundi.

*ψ. 3. Subjecit populos nobis , & gentes sub pedibus nostris.*

Alte-

Altera ratio à beneficio, Ecclesiæ præstito, dum scil. Christus secundum formam Dei ex Ægypto populum introduxit in terram promissionis, & gentes, ac populos, qui loca illa possidebant, populo suo subjecit.

*¶. 4. Elegit nobis hereditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.*

Tertia ratio ex alio beneficio: idem Deus Christus ex nobis elegit populum peculiarem: elegit pulcritudinem quandam eximiam populi Judaici, qui dicitur Jacob; hanc amavit; ex populo hoc, Judæis fidelibus, h. e. Apostolis, Discipulis Ecclesiam sibi constituit. Pulcritudo illa spiritualis est fidei, & morum.

*¶. 5. Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.*

Quarta ratio: postquam Ecclesiam suam inchoavit in Apostolis, & Discipulis, propriâ virtute, quia Deus erat, ascendit in cælum. Illud *in jubilo, in voce tubæ* intellige de spirituali jubilo, & sono Angelorum.

*¶. 6. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.*

*¶. 7. Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.*

Ante-

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum. Psallite Domino, quia Deus noster est; iterum psallite, quia Rex noster est; tertio psallite, quia non solum noster, sed etiam omnis terræ Rex est. Nec solum psallite frequenter, sed etiam *sapienter*, attentè, consideratè, cum omni diligentia.

✠. 8. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.*

Quinta ratio: Christus non contentus hæreditate, quam sibi acquisivit ex populo Judæorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum prædicationem gentes omnes jugo fidei colla subjicient. Sed interim sedet ad dexteram Patris, quæ est sedes Regni Dei justissima.

✠. 9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terra vehementer elevati sunt.*

Ideo regnabit, quia Principes gentium, per Apostolorum prædicationem, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, & ipsi populus ejus essent. Et ipsi Principes, qui sunt quasi Dii quidam, & potentes in terrâ, vehementer elevati sunt, ex servis scil. dæmoniorum

niorum per idololatriam, facti filii Dei vivi,  
& veri.

PSALMUS XLVII.

**T**itulus : *Psalmus Cantici filiis Core secunda  
Sabbati.*

*Titulus aliunde constat, exceptis illis verbis, se-  
cunda Sabbati. Traditus erat Psalmus filiis Core,  
ut eum cantarent secunda Sabbati, seu secundâ die  
hebdomada.*

*Argumentum Psalmi est laudatio Dei ob ædifi-  
cium civitatis. S. Jerusalem: Græci interpretes  
intelligunt readificationem Jerusalem post captivita-  
tem Babylonicam, Latini Ecclesiam; at fortè  
utrumque sensum Spiritus S. intendit, licet magis  
posteriolem, cum Jerusalem Ecclesiæ Christi figu-  
ram gesserit.*

*v. 1. Magnus Dominus, & laudabilis nimis,  
in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

*Laudaturus ædificium incipit à laude ar-  
chitecti, qui verè magnus est, seu spectes es-  
sentiam, seu perfectiones divinas, poten-  
tiam, sapientiam &c.; quæ omnia tanta sunt,  
ut ne Angeli quidem satis laudare possint.  
Hæc magnitudo conspicitur in fundatione  
Ecclesiæ, quæ est civitas, in excelso per-  
fectionis posita.*

*v. 2. Fundatur exultatione universa terræ mons  
Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

**L** Ideo